









1680.

1. Borrichius, Olaus: *De sonno et somniperis medicinae papaveris*

1691.

1. Glad, Severinus: *Compensatio trigonometrica stroph.*  
table I.

1697. Worm, Casparius: *De capitis diminutione*

1706. Ramus, Johannes Daniel: *Præceptibus Roma-  
norum.*

1732.

1. Horrebowius, Petrus: *Observationes astronomiae pli.*

1735

1. Anchoring, Johannes Petrus: *De soldariis. N.Y. II.*

2. Buchwald, Johann, &c: *De gravitate debita  
ges latissim. tempus excedente s. vinterna*

3. Hairs, Andree: *De eo, quod pere bellum  
in minoris*

1746

1. Cold, Isaacus Andreae: De iuramento purgatorio  
2. Moellmann, Bernhardus: Selecta juris Lexicon; pen-  
datis et publicis iuramentata, armariis & justiciis,  
Westphalico capitulo Rec. 1758

1744.

1. Scherstius, Christianus: Tresis publicis et privatis  
convenientia et differentiae principes Rec. 1789

2<sup>a</sup> & <sup>b</sup> Scherstius, Christianus Ludovicus: Operationes bellicae  
in aliis Gallie's & ci' solez raison de guerre en jure  
et moribus gentium 23 Gen. 1787 - 1789

1785.

- Schleswig, Christianus Ludovicus: De baccalaris  
et l. i. o. C. Justin. et l. ful. de rip publica. Accessit:  
Mocellinus, Barth: De certamine Friderici, comis  
Lis Vodenburgi cum Leonc. Rec 178.

1789

Swet, Historicus Christianus : De proezetiorie hominis  
rebusq; bona gentilicia in Norwagia

1791.

1. Horrebow, Christianus : De semine, quem in sole  
descriptis venies per eundem haec eundem die b.  
Junii Ano 1761.

2. Horrebow, Petrus : De haesiis & venenis per  
discam sales

1790.

1. Schlegel, Joh. Fr. G. : De Ricinuine inter posses.  
Sic non bona et male fidei ejusque effectu ciuiti  
secundum iure Romanum principia







38.

DISSERTATIO IURIS PUBLICI UNIVERSALIS  
DE  
EO QVOD  
**IVRE BELLI**  
LICET  
IN MINORES,  
Vom  
Recht des Friegeß gegen die Scinderjahrige;

*Quam*  
Ex præscripto fundationis Regiæ  
Benigno totius Senatus Academicæ Examini subiicie  
**ANDREAS HOIER,**  
Iuris Vniuersalis atque Publici P. P. Q.

*Defendente*  
**LUDOVICO DE HEMMER,**  
LL. AA. Magistro & Reg. Comm. Decano,  
Ad D. Aug. 13 1555 xxxv.  
In Auditorio Superiori. Horis a. m. solitis.



HAFNIAE,  
Typis Regiæ Majestatis & Vniuersit. Typograph. Ioh. Georg. Höpfneri.

ЛІБЕРІА САНКТІЯНІСІА

ІСІАСІА  
ІСІАСІА

ІСІАСІА

ІСІАСІА

ІСІАСІА

ІСІАСІА

ІСІАСІА

ІСІАСІА

ІСІАСІА

ІСІАСІА

ІСІАСІА

ІСІАСІА

ІСІАСІА



**D**ispiciens mihi, qua de mate-  
ria in prima atque inaugu-  
rali, quam a Sacratissima  
Regia Maiestate mihi cle-  
mentissime demandata no-  
va *Iuris Vniuersalis atque*  
*Publici PROFESSIO* abs me postulat, Di-  
sputatione in primis agerem, occurrit inter  
alias, quæ nostris temporibus disceptatæ  
sunt, nobiles Quæstiones illa illustrissima &  
maximi momenti: *Quid Iure belli contra*  
*Minores liceat?* Hanc igitur, cum & illi,  
quam publice profiteor, disciplinæ conue-  
nientissima, & a paucis tractata, a nemine  
autem, quam sciam, rite, & ut meretur, per-  
tractata sit, eo minus dubitaui in istis noui  
mei officii primitiis examinare, quo certior  
sum, nostris his temporibus haud indignam  
aut importunam fore hanc disquisitionem.

A

I. Ante-

## I.

**A**ntequam autem ad rem ipsam accedo , ante o-  
nnia necessarium viderur explicare, tum : quid-  
nam sit *Ius belli*, de quo hic agitur ? tum : quinam nobis  
dicantur *Minores* ?

## II.

*Ius belli* est illa pars Iuris vniuersalis , quæ officia  
belligerantium ex dictamine rectæ rationis definit. Et  
cum totum, quod natura nos colere iubet, *Ius vniuersa-*  
*le* nullas alias habeat aut admittat leges, quam quas sa-  
na ratio ad nostram humanæque societatis conserua-  
tionem necessarias iudicat; in aprico est, vagari extra  
oleas, qui fundamenta huius Iuris vel Romanis vel a-  
liarum gentium scitis aut moribus superstruxerunt.  
Quæ forte ad illustranda Iurisprudentia vniuersalis de-  
creta non male adhibentur, nequaquam autem ad ea  
confirmando. Non magis quam exempla præteriti  
ævi, quæ docere possunt, quid celebratissimi forte po-  
puli aut viri olim fecerint aut indicauerint, non item,  
id iuste atque honeste factum esse, euincunt.

## III.

Deinceps, quum omne *Ius*, quo humanum regitur  
genus, duplex sit: aliud *Perfectum*, quo ita obligamur,  
ut saluis legibus aliter agere non liceat; aliud *Imperfe-  
ctum*, quod quidem omnes & semper sequi non opor-  
tet, sed quo tamen licet vti; belli quoque Iura eodem  
modo sunt distincta. Alia enim belli officia præcepta  
sunt, ut hosti resistere, ciuibus succurrere, strenue  
pugna-

pugnare, victoria vti ad pacem hosti extorquendam, &c. Alia rursus tantum *permitta* habentur; cuiusmodi: hostem, vbi cunque repereris, occidere, hostium rapinis & incendiis vastare, captiuos ad publica opera adigere. Et huius quidem *imperfecti Iuris*, quod *permisso* non nulli dixerunt, iterum duplex est classis. Alia enim in bello ita permittuntur, ut solam habent *impunitatem*, cuiusmodi sunt cædes, incendia, aliaque absque Imperatoris iussu in hostes patrata; alia autem non impune modo committuntur, sed iudiciorum quoque gaudent tutela, prout hostium bona & corpora sibi rapere, vendere, aut in suos vertere usus. Quæ quidem vtraque in bello non sunt mandata, licet tamen, sed diuerso plane modo. Cum multa, quæ in iudiciis non probantur, neque tamen corriguntur, ad *Licentiam militarem* pertineant, cui honestissimum *Iuris* nomen ægre videtur conuenire; etiamsi inevitabilis in bello necessitas & Imperatores coegerit ad hanc licentiam conniuvare, & *Iurisprudentiæ Doctores* imperfectum hoc Ius etiam ad eiusmodi facinora extendere, quæ in bellicis iudiciis haud facile aut corrigi possunt aut prohiberi.

## IV.

*Belli* itaque *Iura*, ex quibus quid in hostes minores liceat, hoc loco erit statuendum, omnia complectuntur *uniuersalis Iurisprudentiæ* præcepta, quæ officia *Iuris perfecti* & *imperfecti* ad actiones belligerantium ita applicant, vt, quid facere in hostem oporteat, quid denique liceat & in iudiciis probetur, præscribant. Ne

A 2

qua;

quaquam autem quid *Licentia bellicæ* subinde adferat, aut moribus belligerantium, cum mutari sine maioris mali metu nequeat, non puniatur. Quam ultimam *Iuris bellici* significationem, ut laxam nimis, & a sobria *Iuris Philosophia* alienam, hac quidem in Dissertatione excludimus.

## V.

*Minores Iure consultis sunt, quotquot maturam & legitimam ætatem nondum attigerunt; adeoque in hoc lubrico ætatis non Præceptore modo, sed Custode & Rectore opus habent, ut Romanorum olim sui temporis πολιτεύωνται.* Plinius a) scite dixit.

## VI.

Est scilicet interuallum aliquod inter *Infantiam*, in qua mortales omnis consilii, rationis, roborisque tam animi quam corporis plane inopes nec vele possunt nec iudicare; & *Iustam ætatem*, quæ pleno mentis & corporis vigore atque ratione iam confirmata gaudet, adeoque sibi consulere, recte iudicare, & constanter velle potest. Quod cum *Minor ætas* inter infantiam & legitimam ætatem constituta ob iudicij adhuc vacillantis imbecillitatem, voluntatis inconstantiam, & defectum necessariæ aut cognitionis aut experientiæ non valeat, omnium fere gentium modernis legibus præcipiti & lubricæ huius ætatis facilitati ita succurritur, ut Cui Minor nihil, quod ab ipso etiam gestum sit, debeat esse detrimento.

## VII.

a) lib. 3. ep. 3.

## VII.

Id quidem ita se habere Iure omnium fere gentium statutario, nemo iuerit inficias. Conueniunt in hoc, quotquot notæ sunt, scriptæ per Europam leges, vt ante certam & publice præscriptam ætatem nemo suarum rerum sine Tute, aut saltem Curatore pleno iuris effectu arbitri habeatur. Etiam si in definitiis huius minoris ætatis terminis incredibiliter a se invicem discendant. Græcia olim ad vicesimum annum tutelas ephebis continuari voluit, hoc autem anno finito illos in Αγελεχυνι<sup>o</sup> sive album ciuium retulit; forte probatos ante, quid de eorum iudicio, ubi sui iuris facti fuerint, sit sperandum. Vnde Δομινικέτες videntur esse dicti. Finita enim tutela statim adolescentes sive Μείζωνες δοκιμαστέτες suo relinquebantur arbitrio. Adeoque nullum Curatorum apud Græcos appetet vestigium, vt Theophilus, Græcus Institutionum Paraphrastes, Latinum quoque ινστιτούσων nomen retinevit, deficiente, quod rem exprimat, Græco vocabulo.

## VIII.

Apud Romanos initia pubertatis & fines tutelæ fere incerta erant ante Iustinianum, vt dudum a Ictis est obseruatum b), sed istius Imperatoris auctoritate ad exitum anni decimi quarti sunt adstricta. Finiebatur autem pubertas sub initiis Romanæ reipublicæ antiquo

A 3

iure

- b) Conferatur hic *Perillustris a Ludewig de ætate legitima puberum & Majorum cap. I.* cuius hic vestigia legere non erubescimus.

iure cum anno decimo septimo, ut vel ex solo Seruii Tullii instituto apparet, quod ex antiquissimo auctore Tuberone A. Gellius c) seruauit. Deinde non nisi post decimum octavum annum finitum & iudicis fungi officio licebat, & adoptare. Denique ad vicesimum quintum usque Curatore opus erat, si quidem rite & cum stabili iure effectu agere deberent Minores. Hoc anno finito non amplius dabatur regressus aut restitutio, qua alias *Minor ex Romanorum moribus legibus*: que gaudebat.

## IX.

Antiquissimis Germanorum moribus legitimam ætatem vicesimo anno fuisse definitam, ex instituto, quem ante laudauimus, *Perillustris Ludewig d)*, docere voluit; etiamsi recentioribus temporibus cura minorum veteribus ignota nonnullis in locis ad Romanorum exemplum usque ad vicesimi quinti anni finem sit recepta. Sed magna hic obseruatur & populorum Germaniæ & temporum variatio. *Salicis certe legibus* (quas cum antiquissimis nostri Septentrionis moribus mirabiliter conspirare, alibi forte decebitus) nihil de *Curo Minorum*, neque de *Tutela* post pubertatem constat esse præscriptum. Videtur potius Francorum nostrorumq; olim Maiorum iudicium naturæ sequutum leges ita definiisse, oportere quemlibet post duodecimum annum bene aut male a se gestorum præmiis aut penis

c) lib. X. cap. 28.

d) l. c. cap. 3.

pœnis frui. Ita enim Salica lex Tit. 28. art. 6. *Si quis puer infra duodecim annorum aliquam culpam commiserit, fredus c) ei non requiratur.* Eundem annum definit antiquissimum Iuris Lubecensis exemplar, quod Consules Lubecenses Seculo XIII., imperante in nostra Dania Abele Rege, in usum ciuium Tunderensium, exscribi iusserunt, & adhucdum in Tabulariis inclytæ huius ciuitatis adseruatur. Ita enim habet sub titulo: *De rixa puerorum: Si duo pueri infra duodecim annos existentes ad iniucem usque ad effusionem sanguinis laeserint, advocatus hoc iudicare non tenetur, nec aliquam inde percipiet compositionem.* Antiquissimæ quidem Anglorum Regis Inae leges (ex Anglo Saxonis institutis sine dubio desumptæ) seculo VIII. ineunte latæ f) paulo altius ascendunt, & puerum decem annorum furti reum punire permittunt: *Tyn Wintre cnigb̄ mā be on Deafhe gewita.* Sed Adelstani Regis duo post secula g) promulgatae constitutiones actionem furti non nisi in XII. annos egressum (ofter twelf Winterne) concedunt. Cimbricæ denique leges a Waldemaro II. tria exinde secula publicatae hanc impunitatem impuberum ad decimum quartum usque annum prorogauerunt. Ita enim Codex membranaceus antiquissimus, h) quem

Flens.

- e) *Fredus, i. e. Fred. Securitas. Vox forensis, in nostris adhuc legibus visitatissima.*
- f) *Guil. Lambardi Archaionomia de priscis Anglor. Le- gib. fol. m. 3. cap. 7.*
- g) *Ibid. fol. m. 59. cap. I.*
- h) *Quem vel ea de causa promulgationi legum estate pro- ximum*

Flensburgensis Curia inter rariora veteris æui monumentis adseruat, sub titulo: *Urn Bathae Glaerning,* (qui nunc est lib. II. cap. 50.) aen aer hin, der til Bloch withae gortae, aellar helghæ brot, minnae aen furghaertan Wintaer gamael, botae with hin, ther han brot with, oc aej with Runung, oc aej with Biskop, utaen for Mandrapenae. Quo in loco cum recentiores & manuscripti & impressi Codices legant: XV. Wintaer, non parum videtur probabile, mutationem hanc non tam delibera-  
rato consilio esse introductam, quam sphalma subesse,  
antiquissimum tamen & primo errore scribæ pro XIV  
scribentis XV natum, postea autem in pleraque exem-  
plaria diffusum; quæ signis, non autem integris vocabu-  
lis, ut noster Codex, numeros annorum expresserunt.

X.

Cum Cimbricis legibus certo modo hic conspirant statuta Hamburgensia, Nordstrandensia antiqua, & de-  
nique Fridericostadense, quæ adolescentem 14. anno-  
rum iam in ciuilibus testem admittunt; etiam si iisdem  
legibus in Criminalibus nemo ante vicesimum annum  
ad testimonium dicendum habilis iudicetur. Quod  
contra nullo habito actionis discrimine Iure Ditmars-  
co & Eiderostadiensi ante decimum octauum, Fresico  
autem boreali i) ante vicesimum quintum plane an-  
num

ximum esse suspicor, quod distinctionem legis in li-  
bros & capitum numeros nesciat, quæ procul dubio  
recentiori demum suo videtur esse orta. Calamus  
etiam est seculi decimi tertii.

i) Der Preussischen Harden Gerichts Ordin. von 1559. art. 2.

num non permittitur. Porro bona immobilia vendere aut donare antiquo Iure Iutico <sup>k)</sup> vel Lubecensi <sup>l)</sup> non licuit ante decimum octauum annum exactum. Quæ videtur sequenti medio æuo receptis Daniæ nostræ moribus iusta fuisse ætas, in qua quemlibet non suis modo rebus consulere, sed fratris quoque pupilli tutorem agere iusserunt leges Iuticæ lib. I. cap. 25. om han er fuldvoren. Nisi forte malueris, adultam, de qua hic locus agit, ætatem medio hoc æuo nondum fuisse ad certos annos adstrictam, sed iudicis aut propinquorum arbitrio ex animi corporisque robore definendam. Id quod priscis Germaniæ populis ita in more fuisse vero simile fecit *Illustris Ludewig.* Longobardica denique Iura itidem post octodecim annos quemlibet suarum rerum arbitrium æque ac nostra Septentrionalia constituerunt, & ad militiam atque beneficia militaria aptum declarauerunt. Quod ut alia plura Longobardicarum consuetudinum capite apprime nostris olim institutis congruit.

## XI.

Canonico Iure, cuius diuinam auctoritatem non minus ac æquitatem Pontificii Doctores iactant, & quod ICtorum inter Protestantes etiam scholæ passim adhuc in multis sequuntur, non minus variant tempora, quibus vel infans vel minor ætas finiatur. In matri-

<sup>k)</sup> lib. I. cap. 36.

<sup>l)</sup> Antiquum Iuris Lubecensis exemplar Tunderense: Nullus puer infra 18. annos existens bona sua cuicquam dare poterit sine consensu & voluntate heredum suorum - - aut Consulam.

monii enim Sacramento ex illius placitis ineundo nullam fere ætatis rationem habent huius Iuris Doctores. Quid constat in Romana secta legitime contrahiri inter Principes in prima fere infantia constitutos; vt ex multis & illustrissimis nostri etiam temporis exemplis eluiscit. Monasticam porro vitam, vt & Minores, quos vocant, ordines Ostiariorum, Exorcistarum, Lectorum & Acoluthorum, nec non Canonicatus permittunt vix primam infantiam egressis; Subdiaconi autem gradum non nisi octodecim annorum iuuenibus, Diaconi viginti, Presbyteri denique viginti quinque annos natu. Ita tamen, vt Papa, in cuius pectoris scrinio fons Iuris, tanquam olim Mosis tabulae in Sanctuario, ex Romanæ sedis Doctrina seruatur, pro arbitrio hæc tempora contrahere possit, & pro quibus visum fuerit, contra hæc diuina alias Iura dispensare.

### XII.

Hæc, quæ adduximus, exempla Legum, in primis antiquiorum nostri quoque Septentrionis, abunde demonstrant, quod supra indigta sumus, quam varia sit atque multiplex Iuris scripti in definienda legitima ætate discrepantia, & quantopere in regundis Minoris ætatis finibus fluctuant diuersorum temporum & populorum leges. Vipote subnixa, hac quidem in materia, solo legislatorum arbitrio, nequaquam autem stabili & immota iusti & æqui ratione, quam innata nobis norma subministret.

### XIII.

Antequam autem hoc paulo clarius exponam, iubet

bet adhuc paucas addere Iuris in primis vulgo dicti  
communis doctrinas de Minorum Iuribus, quæ non  
plane nullius in hac contiouersia vñus esse videntur.  
A Minoribus acta, nisi consensu Curatoris roborentur,  
non valere isto non magis quam nostro Iure, certissi-  
mum est. Valet tamen hoc in casu exceptio: Si quid e-  
gerit in illa arte, quam profitetur, & cuius præcipue des-  
bet esse gnarus. Quo etiam dispositio lib. III. c. 17. art.  
35. Codicis Christianei videtur pertinere. Si quid ita-  
que Minor ex Curatoris consilio egerit, nostro iure ra-  
tum est; Romano-Germanico autem gaudet beneficio  
Restitutionis, ita tamen, si captum se doceat, & læsio-  
nem non modicam demonstret. Sunt tamen & hic con-  
ditiones, quæ Minorem, quantumvis læsum, ab hoc be-  
neficio repellunt, in primis si dolose se Maiorem dixerit  
*m)*, aut si iuramento rem gestam confirmauerit *n)*;  
quo pacto etiam, quæ sine Curatore egit, ita immota  
esse iudicantur, vt Minor iuramento ita se obstringens  
ex mente ICtorum Major dicatur. Porro non resti-  
tuitur Minor aduersus Maiorem aut æque priuilegia-  
tum *o)*; nec in Processu summarissimo seu possesso-  
rio valet Minorenitas *p)*; neque prohibet, quo mi-  
nus ob debitum reus possit incarcерari *q)*. Illud et-

B 2 iam

*m)* L. 2. C. Tit. 43. Si Minor Maiorem se dixerit.*n)* L. 2. C. Tit. 28. Si aduersus venditionem. Et ibid.  
Authentica Friderici. Adde Menoch. Consil. MCII.  
No. 73. 74. Strykii Diff T. IV. Diff. 25. cap. 5. No. 8. 9.*o)* Menoch. Consil. 1048. No. 17.*p)* Strykii Diff. Halens. T. II. p. m. 891. 892.*q)* Id. Diff. T. I. Disp. 4. c. 2. No. 6. 7. 8.

iam quam maxime est notandum, quod communi Iu-  
risperitorum suffragio omnem Restitutionis spem ex-  
stinguit, vtrum pupillus aut Minor, postquam Maior est  
factus, rem a tute vela se ipso, cum velle Curatore,  
gestam habuerit ratam, atque sciens comprobauerit.  
r). Néque a iuramento in primis fidelitatis præstando  
excluditur Minor, etiam si ad illud non cogatur in uestitus  
s). Denique in delictis incarcerari & puniri potest Mi-  
nor r), etiam si miseratione ætatis iudicem ad mitiorem  
pœnam soleat inducere. In quibus tamen omnibus  
multum arbitrio iudicis relinquitur, ex re ipsa defini-  
turo, sitne Reus maturescens rationis, vel eius mali-  
tiae, quæ suppleat ætatem.

## XIV.

Duplex scilicet, si in omnium harum Constitutio-  
num causas & rationes inquiramus, legislatorum fuit  
intentio, ne quid detrimenti caperet res publica, vel fa-  
cinoribus Minorum, si omnia scelera impune patra-  
rent: vel interpestiu tot ciuium miseria; in quam ple-  
rique in minori ætate constituti ex consilii inopia, cupi-  
ditatum interperie, & aliorum astutia capti facile præ-  
cipites abeunt, nisi lubricæ huic aut pueritiæ aut puber-  
tati vel dato Rectore vel in uestitis aliorum auiditati fre-  
nis prospiceretur. Ad vtrumq; scopum tendunt omnes  
omni-

r) L. 2. Tit. 46. C. Si Maior factus rat. hab. Item L. 5. Tit.  
24. C. Si Maior factus alienationem. Et ad vtrumque  
Commentatores & Doctores passim.

s) Stryk. Disp. Halens. T. II. p. 451.

t) Id. Disp. T. I. Disp. 2. c. 2. No. 12.

Omnium gentium Leges, quantumvis diuersis subinde viis incant. Has enim Naturæ Lex non præscripsit, sed Legislatorum reliquit arbitrio; etiam si finem ipsum, nempe securitatem & Minorum ab aliis concubibus, & Reipublicæ a Minoribus maximopere commendet. Quod postremum cum animaduertissent ICti, accidit illis olim in hac quoque doctrina, quod in nonnullis aliis, ut illa, quæ Statutaria Iura ad Ius Naturæ addiderunt, cum ipsis æternæ huius legis regulis confuderint, adeoque Romani aut Canonici Iuris præcepta in Iuris vniuersalis Disciplinam intulerint; vniuerso mortalium generi tanquam euidentissima communis rationis dictamina tantum non obrudentes, quicquid Roma antiqua vel noua per Imperatores aut Pontifices statuit obseruandum. Hinc enatus est inter alios illustris error de Minoribus quounque modo lassis etiam ex naturæ lege restituendis, quæ nostris temporibus nonnulli in publicis maximi momenti controversiis tanquam iniuctam veritatem & immotum fundamentum suorum Principum Prætensionibus confidenter satis substrauerunt. Quam recte & ad sanæ rationis amissim, iam ibimus examinatum.

## XV.

Ante omnia autem disquirendum est: *Suntne omnia in Iuris Naturalis disciplina Minores?* Quod fiderenter nego. Neque enim hac lege certi & stabiles vel infantiae vel puberratis vel denique perfectæ & iustæ iuuentutis anni possunt definiri, qui termini potius ex signis pubertatis, ex animi corporisque viribus, denique ex in-

B 3

diciis

diciis rationis vel elucescentis, vel confirmatae citius tardius se exserentibus, secundum naturae leges sunt prorogandi aut contrahendi. Vt celeberrimi huius disciplinae Doctores *Grotius u.*, *Pufendorfius m.*, *Thomasius x.*, & quotquot in hoc stadio decurrerunt, tentur. Nec dubium est, differentiam inter *Tutelam pupillorum & Curam Minorum*, obseruante cum illis *Hubero y.*, & que ac *Restitutiones Minorum in integrum esse* merita iuris Romani figmenta, quibus, bene monente illustri *Griebnero z.*, negotia, quae valida sunt, rescindi non debent, quae nulla sunt, ad ea euerenda hoc non opus est praesidio. Iam cum in his tota de Minorum aetate & iuribus doctrina communis iuris contineatur, facile conficitur, illam ab uniuersali iurisprudentia exulare.

## XVI.

Porro cum solus rationis usus & corporis robur sufficiat ad rem familiarem bene curandam; ex his quoque solus naturali iure iudicabitur, quis pro adulto sit habendus? in quacunque demum sit aetate. Cum mente vel corpore adhuc imbecilles inter impuberem & pueros vicissim numerandi sint, etiam si 12 aut 14 annos dudum superauerint. Hi sunt, quos nonnulli univer-

*u)* de I. B. & P. L. II. c. ii. §. 5.

*w)* de I. N. & G. lib. III. c. 6. §. 5.

*x)* Iurispr. div. L. II. c. 7. §. 36.

*y)* de Iure Ciuit. L. II. Sect. I. c. 5. §. 46.

*z)* in Principiis Iuris naturalis (egregio, me Iudice, libello) lib. I. c. 7. p. 92. No. 4.

versalis Iuris Doctores subinde *Minores* appellauerunt, vñ vocabulo in sensu paullo latiori, quo antiquiores in primis ICtri infantes quoque atque impuberes hoc nomine sunt complexi. Horum in *Civili* societate curam quouis modo habere iubet *Ius ciuitatis vniuersale*, vti supra §. 14. est indicatum. Sed de ista *Iuris naturalis* parte hoc quidem loco non differimus.

## XVII.

Longe enim alia est ratio præceptorum, quæ *Naturali* statum respiciunt, sive *pacatum* illum fingamus, sive *bellicum*. In vtroque enim fieri non potest, vt quis pro *Minore* habeatur; longe minus, vt *Minorum* cura hominibus in hoc statu constitutis stricto naturæ iure incumbat. A primis humani generis originibus *naturalis* eiusmodi *status* nec esse poruit, nisi inter *personas* liberas vtrinque, sibi inuicem æquales, & nec beneficio neque iniuria cognitas aut deuinetas; neque alia agnoscere iura aut officia præter sui suorumque commodorum conseruationem & perpetuitatem. Sive iam *singuli* homines, seu *integræ* *societates*, *republicæ*, *imperia* eorumque *Rectores* eiusmodi dicantur *personæ* *naturales* aut *morales*, iuribus iisdem gaudebunt, neque vñquam pro *Minoribus* poterunt haberi. *Singuli* enim si fortuito aliquo casu (quæ tamen rarissima *naturalis* status erunt exempla) v. gr. per naufragia in insulam non habitataam conueniant, vbi æquali viuant libertate & independentia, fieri non potest, quin sint adulti. Sin autem simul eo appellant infantes aut pueri, itidem nullo vinculo vel cognitionis vel societatis cuius-

cuiuscunque adultis coniuncti, stricto naturæ iure isti non tenentur illis succurrere; Quod si tamen humanitatis officiis obsequentes faciunt, transeunt statim eiusmodi infantes aut pueri in familiam aut societatem succurrentium, & fruuntur adeo iuribus non naturalis libertatis, sed coniunctionis vel herilis vel ciuilis, quæ priori libertatis statui successit. De integris Societatis earumque Rectoribus adhuc magis est indubium, quantumuis Rex aut Princeps ipse sit *Minor*, eum tamen ut caput suæ reipublicæ vna cum illa spectatum non posse ab aliis liberis statibus pro *Minori* haberi.

## XVIII.

Neque est, quod quis mihi obiciat omnium proprium imperiorum exempla, quorum Imperantes usque ad certam ætatem *Minores* & tutelæ subiecti sint, Vt de Regibus Daniæ, Galliæ, atque Lusitanæ constat, illos post decimum tertium annum finitum esse Maiores, & regna absque tutoribus administrare; Imperatores Romano-Germanicos & Sueciæ Reges (si Caroli XII. exemplum præterea,) post decimum septimum. Istæ enim domesticæ tantum sunt constitutiones fundamentalibus regnorum legibus fere ad eo maiorem & Principum ipsorum & populorum securitatem introducuae; quae tamen negotia cum aliis Principibus aut Rebus publicis tractanda non attingunt. Sic nemini ignotum esse potest, Ludouicum XV. Galliarum Regem usque ad 1723. suisse sub tutela Philippi Aurelianensis Ducis pupillum, quo tamen tempore eius nomine & bellum in Hispaniae Regem motum, & Quadruplex cum

cum Imperatore, Rege Magnae Britanniae & Generibus Belgii Statibus pactum fœdus, & pax denuo cum Hispania firmata est. Apertissimo exemplo, Regem domi Pupillum foris in publicis sui regni cum aliis negotiis semper haberi Maiorem.

XIX.

Cum itaque in *Naturali* statu nemo habeatur *Minor*, longe magis ignorabit hic status *Minores*, quando non *pacatus* amplius, sed in *bellum* deuolutus est. Adeoque ante omnia notandum est, *Ius belli* nullum nec habere nec admittere respectum *Minorum*, sed absque *vilo* vel *ætatis* vel *auctoritatis* discrimine, quotquot inter hostes sunt, iure belli persequi.

XX.

Itaque quæcunque licent in hostem, licebunt etiam in hostem *Minorem*. Ita tamen, ut nunquam neglegatur nec *finis belli*, qui bellicis actionibus modum dare debet, neque *diuera Minorum* aut *puerorum conditio*, quæ ipsis etiam viatoribus ita & non aliter agendi fere imponit necessitatem.

XXI.

De belli *Iustitia* hic non loquor, sed de iuste belligerantium *Inventione*, bellique fine, ob quem geritur. Iustitiam enim belli vel plenam & tum ratione causatum modi perfectam, vel succedaneam, in hostem non iusta quidem ex causa iniusto tamen modo bellantem, in omni disputatione de licitis aut iustis belli actionibus oportet præsupponere. Quis enim in bello per se iniusto quicquam in hostem licere, hoc est, iuste fieri, autu met?

C

XXII.

## XXII.

Sed ex fine belli & scopo, ad quem obtainendum arma sumuntur, definiendum est, quantum in hostes liceat, etiam *Impuberis & Minores*. Ita in *deletariis bellis* (cuiusmodi saltem Israelitarum in Canaanos fuisse constat, & quo nescio an nostro æuo ullum aliud recte queat referri, præter seruilia forte illa Americana in perduelles seruos Nigriticos) non licet modo, sed necesse est omnes, infantes quoque, necare, donec eo usque deletum sit gentilis hostilis nomen, ut nihil impostorum ab illius progenie quocunque modo sit pertimescendum. Id quod si in alio bello fiat, vel truculentæ nomen meretur vel pertinet ad *licentiam militarem*, quam a nobis hac in Dissertatione non laudari, supra iam monuimus.

## XXIII.

Porro, quicquid ad finem belli obtainendum necessarium est, id etiam in hostem quantumvis Minorem licebit. Itaque *Minorum* licite rapiuntur bona, pecuniae, srumenta, vbi exercitus illis habet opus, aut hostis alias his opibus contra nos posset abuti. Capere etiam licet & abducere hostium infantes liberosue, vbi vel nostra securitas id poscit, vel belli exitus hoc modo anticipari, aut commune nostræ reipublicæ bonum insigniter iuuari potest; denique, quicquid vel salus nostra vel publica securitas postulat, aut ad pacem vel accelerandam vel eo constantius stabiendam facere potest, id omne ex belli Iure in hostem vtut Minorem rete & absque iniuria fieri non potest modo, sed debet etiam;

etiam; cum salus nostra & pax firma atque stabilis tan-  
quam vnicus bellorum omnium finis legitimus alio  
modo difficulter possit obtineri.

## XXIV.

Quodsi iam ad *Minores* ipsos respicimus, pro vario  
illorum statu varia quoque in illos valent belli Iura.  
Aliter enim statuendum est de *priuatibus*, aliter autem de  
*Principibus* ipsis. Rursus *infantibus*, qui nullo modo  
nocere possunt, fauentia magis sunt rationis bellicæ  
præcepta, quam *adulterioribus*, qui vix etiam puberes  
illa tamen subinde sunt vel malitia vel virium ratio-  
nisque præcociitate, ut hostem iuuare queant, aut no-  
bis inferre damna. De quibus paulo distinctius erit  
dicendum.

## XXV.

De *Subditis* hostium primo loco videbimus. In hos  
tantum licet, quantum ad hostium vel robur eneruan-  
dum vel animum frangendum & ad iustiorem mo-  
dum redigendum, vel ad nostra denique damna sanc-  
ienda, bellique necessarias impensas refundendas est  
necessarium. Nulla hic ætatis est differentia, sed vnic  
eius, quem inter hostes obtinent, loci. *Subditi priuati*,  
qui nec consiliorum sunt participes nec armorum,  
possunt tamen opibus operisque & hostem iuuare &  
nobis obesse. Itaque ab illis licet tributa, frumenta,  
iumenta & operas exigere, aut plane illorum bona ra-  
pere & personas abducere, siquidem belli ratio id re-  
quirit. Licet illorum domicilia incendere, agros va-  
stare, vineta & sylvas cædere; siquidem eiusmodi va-  
ritate

titate ad retundendum hostium in nos imperum opus sit. Et in istis casibus nulla est dubitatio, quin Minores aut infantes etiam communis subditorum sorte continantur.

XXVI.

Illud autem non ita videtur esse luculentum, utrum *Minores inermes* in bellorum æstu recte trucidentur? Distinguendum hic videtur inter bella *communita*, quæ iusta & moderata pace tuto finiuntur; & *deletaria*, quorum finis est, securitatem populi per plenam hostilis gentis extirpationem quærere; cum certissimum sit, nullam cum illa pacem sine præsentissimo nostro discrimine posse iniri. In his supra §. 22. dictum est posse citra culpam quosuis, infantes etiam, cædi, donec ad incitas redacta sit sacra eiusmodi natio. Sed in communibus bellis non item. Quicquid enim huius generis in urbibus per imperum captis, aut contra rusticorum insidianum familias subinde fieri consuevit, id omne ad licentiam militarem pertinet, & nostro æuo inter moratores Europæ gentes laudatissima Principum & Ducum prudentia vix amplius locum habet.

XXVII.

Neque Iure *Repressaliorum* quemquam, nedum Minorem & infantes, occidi posse, communis est Doctorum consensus. Ad quam rem hic nihil addo, cum *Repressalia* non pertineant proprie ad Iura belli, sed ad media, quibus absque bello ius nostrum eo consilio persequimur, ut bellum ipsum evitetur. Sed alia est disputatio, utrum *Talionis iure* liceat hostes inermes, *Minores, infan-*

infantes, feminas, Sacerdotes &c. in flagrante iam bello, & post cœptas ab hoste eiusmodi crudelitates trucidare? Videtur equidem Grotius hic hæsitare, & nec a) *Talionis* nomen admittere, neque omnino cædes puerorum, b) aut aliorum imbellium pro in bello lictis habere. Sed in vtroque licebit ab eo dissentire. Nam *Talionem* iuste locum habere, non modo in eosdem, qui peccauerunt, homines, sed in populum quoque vel rem publicam, quæ reos eiusmodi excessuum fuet & protegit, tamquam in personam moralem, cui commissum ab vno vel alio membro crimen inhæreret, iam dudum a Zieglero c) & aliis bene est obseruatum. Et quanquam facile *Grotio* consentiamus, virtutis esse & naturæ legibus magis conforme, seruare hostem, in primis innocentem, quam occidere; Id tamen rursum vel ex ipsius præceptis patet, non solum licere hostem vbiunque in hostico impune interficere d), quod hoc loco non vrgeo; sed illud maxime, nihil in hostem efferrum & crudeliter grassantem non licere, quod ad nos nostrosque ab eius furore tuendos facere, aut ipsum ad maiorem humanitatem redigere potis sit. Imo oportere potius extrema quæque in eiusmodi bellis adhiberi media, quibus effici possit, ut aduersarium suæ crudelitatis bellique inhumaniter gesti pœniteat.

C 3

XXVIII.

a) I. B. &amp; P. lib. III. c. 4. §. 13.

b) Id. lib. III. c. 11. §. 9.

c) Ziegler. ad Grot. I. III. c. 4. §. 13.

d) I. c. c. 4. toto.

## XXVIII.

De illis *Minoribus*, qui arma reapse gerunt, aut inter pugnantes reperiuntur, seu insidijs variisque aliis modis hostibus suppetias nobis exitium adferre laborant, nemo est, qui eos eodem, quo alias milites, loco haberi, capi, & occidi posse, neget. Arma hic & nobis nocendi animus spectandus est, non anni. Hoc maxime seculo, ex quo nitrati pulueris usus inualuit, cuius ope fortissimum quisquis nullo negotio a puero potest prostrerni, præcipue in regionibus montanis & siluosis ad insidias aptis. Vnde bellici Iuris legibus omnino conforme est, quod necessitas in huiusmodi locis beligerantes coëgit, omnes hostium subditos, pueros etiam, qui cum armis in siluis aut montium angustiis reperiuntur, tanquam latrones & infidiatores (*Schnaphane*) extirpare, &, si viui capiuntur, suspedio aut alio suppicio afficere. Quod tamen supplicium non pro vera pœna habeo, sed iure belli, quo hostem quovis modo occidere licet, fieri existimo; cum eiusmodi subditi plerumque iussu legitimi Principis ad patriam defendendam arma capiant, adeoque nihil pœna dignum agant; neque ab hoste, cui nullum in eos iustum est imperium, rite puniri possint.

## XXIX.

Nascitur hinc alia Quæstio: *Liceatne subditis hostiis crudelissima minori suppicio excidiumque non MINORVM modo sed infantum quoque lactentium; nisi hostis mox ab armis discedat, que urbs obsessa statim faciat deditionem;*

8,

&, si quidem id liceat: *qua specie personæ inermes, imbellis, infantes, feminæ, pueri, quorum arbitrio arma nec sumuntur nec ponuntur, luere debeant Ducis præsidiiue peruviciam?* Ad quam breuiter dicendum est, minas eiusmodi non magis quam alia stratagemata pugnare cum Iure belli, sed recte adhiberi, & laudandas potius esse; si quidem istis armis hostium obstinatio, vt subinde fit, absque sanguine possit frangi. Sed minas deinde non flagitante extrema necessitate exsequi, & vbi victoria parta est, innoxios homines mactare, fareor, tantum abest a natui iuris æquitate, vt dubitem hoc seculo eiusmodi exempla inter populos non plane barbaros posse reperi.

## XXX.

Vt paucis totam de Iure belli in *subditos* hostium *Minores* doctrinam complectar: (1) Hostis qui est, hostis loco recte habetur, in quacunque sit ætate. (2) *Minoris* inermis bona eodem modo, quo aliorum eius conciuum ab hoste iuste onerantur aut occupantur. (3) Ipse tamen ob virium adhuc defectum ab operis laboriosis fere liberatur, v. gr. ab aggeribus fossisque faciendis, tormentis trahendis, ligno cædendo &c. (4) si reliqui hostiles subditi capiantur & abducantur, (5) aut in bellis deleteriis sine talionis iure nullius vita parcatur, nihil est, quod *Minores* ab eadem forte eximat, quantumuis inermes. (6) Minor denique non habetur, qui hostium exercitum vel armis, vel militari opera vel consiliis firmat, aut nobis damna infert. Cui non magis parcitur, quam alijs hostibus armatis, sed

minus

minus etiam, si nullo sacramento militari obstrictus,  
tamen clam vel palam in nos pugnauerit.

XXXI.

In *Principe Minorc* eadem primo loco sunt repetenda Vniuersalis & Bellici Iuris fundamenta. Primo quidem Naturalem æqualis libertatis statum, cuius iuribus Principes inter se vtuntur, ignorare Minores illorumque beneficia; deinde (2) in bellis, qui nocere vult & potest, non pro Minoris sed pro hoste perfecto haberet, cum non annorum numerus hic spectandus sit, sed mens astus aut malevolentia in nos capax, & educatio, cuius ope ratio in illustribus plerumque solitam ætam multum anticipat. Denique (3) Principem ut caput sua reipublicæ & unum cum illa corpus morale spectatum, in actibus, qui alios status aut Principes attingunt, semper haberi pro Maiore; qui sui iuris, suarumque rerum plenus sit arbiter, etiam si omnia domis forisque ipsius nomine a Tutoribus aut administris gerantur.

XXXII.

Non facile quisquam naturalis Iurisprudentia ut cunque peritus, de veritate horum axiomatum dubitauerit, nisi omnia simul Vniuersalis Iuris præcepta sublato præcipuo eius & fine & fundamento, tranquillitate humani generis, velit subruere. In primis autem tertium & ultimum tam evidenter ex natura statuum, ex illorum æqualitate ac libertate, & denique ex maxime necessaria mutua quietis ac securitatis cura fluit; vt eo sublato nullus unquam status, nulla res publica a vicino

vicino Minore tuta foret, neque quicquam valide cum republica, cuius Princeps Minor sit, possit agi. Nulla hic foret foederum vis; nulla vel pacis iusta, vel aliarum transactionum, quae quidem cum non *Maiori* ineantur, fides; nullus bellorum & disceptationum modus; si Principes eorumue hæredes illis rebus non obligarentur, quæ in Minori illorum æstate, illorum tamen nomine, publice cum aliis aut in alias gesta sunt. Quia quidem doctrina nescio an villa humano generis magis exitialis possit inueniri.

XXXIII.

Sed bonum factum, quod in tot, tantis, tamque gravibus publicis controversiis, quas e. gr. Hispania, Gallia atque Suecia sub Minorenitate Regum Caroli II. & Ludouicorum XIII. XIV. & XV. item Reginæ Christianæ cum maxima Europæ parte habuerunt, & in quibus sua quisque iura non sine maxima contentione tueri adlaborauit, nemo unquam prudens ad *Minorem* Regum æstarem prouocauerit, aut publica cautela ea propter opus esse vel verbo indigitauerit. Evidentissimo indicio, quantum omnes, qui maximas totius Europæ per ultimum hoc seculum controversias cum gloria tractauerunt, absfuerint a futili hac, & ex Romano Iure perita causatione *Minorenitatis*, quam minorum gentium Dii nostro demum tempore excogitauerunt, ut suis Principibus saltem aliquam inde spem facerent recuperandorum olim, quæ perdiderunt, iurium aut dominiorum.

D

XXXIV.

## XXXIV.

Princeps itaque *Minor* domi & pupillus, in omnibus, quæ ipsi cum aliis Principibus enascuntur, disceptationibus pro Maiori habendus est. Personam ipsius sustinent, qui ipsius nomine reipublicæ præsunt; per quos Princeps omnia videtur ipse efficere. Qui si officio non bene fungantur; id nihil ad vicinos aliosque liberos status attinet, sed ad rem publicam, Principemque, cuius in imperio sunt vicarii. Quod si in Tutoribus vel eligendis vel instruendis precatum sit, ea est culpa vel status vel familie Principis, nequaquam extraneorum; & incommoda, quæ inde flunt, in illos non in hos iure merito redundant. Hoc modo Princeps *Minor* bellum infert & propellit; & quicquid armorum fortuna læti aut illæ tabilis habere potest, sustinet; vrbes capit aut perdit; prouincias addit regno suo, vel amittit; regno ipso excidit; sedera pangit, pacem facit, & in eius tabulis subinde integris regionibus & terris, quin præcipuis iuribus suis, postulante id status sui salute, renunciat. Quæ omnia si sola ætatis lubricæ exceptione possent reuocari aut irrita fieri, aetum foret de humani generis securitate, & de ipsis in primis Principibus *Minoribus* eorumque statibus; vt pote qui vicinis iure merito suspecti, & vel eo solo nomine exosifarent, quod nihil rati neque ad pacem conseruandam, nec ad bella præuenienda aut finienda cum illis liceat pacisci.

## XXXV.

Hic tamen susque deque habitis, sunt qui hoc urget  
ant

ant vnicum: Siene pro MINORI non habendus Princeps,  
 qui legibus suæ gentis adhuc est sub tutela, qui ipse nihil va-  
 lidi per se & sine tutoris auctoritate in regno suo facere pos-  
 est, & quem pro tali agnoscunt, non Imperator modo, aliique  
 Reges & Principes omnes, sed ipsi imprimis hostes? Et quod  
 si vel ex inimicorum confessione constet de Minore  
 illius ære, quid postea obstat, quo minus priuilegiis etiam  
 ac beneficiis MINORVM debear frui? Hoc illud est Her-  
 culeum dissentientium argumentum, cuius robore  
 totam hanc controversiam confici purant; in quo ta-  
 men nullam omnino vim aduersus ea, quæ iam dicta  
 sunt, me fateor animaduertere. Potest enim, quod  
 sponte dedimus, Princeps domi esse pupillus, & tum a  
 tutoribus subditisque, tum ab aliis Regibus & Princi-  
 pibus, quin ab ipso, quem offendit, hoste ita appellari;  
 potest porro hoc titulo gaudere omnibus Minoris &  
 pupilli beneficiis, non aduersus subditos modo & tuto-  
 res suos, sed aduersus alios quoque Constatus in Im-  
 perio Romano-Germanico, siquidem Germaniae sit  
 Princeps; vt tamen non sit habendus Minor in negotiis  
 publicis, & in primis bellicis disceptationibus, in quas  
 ratione ditionis, quam independenter ab aliis possidet,  
 cum alio Rege aut Principe incurrit. Quæ quidem di-  
 stinctio illis, qui aduersam sententiam tuiti sunt, scripto-  
 ribus non debuisset esse vel ignota magis vel difficilis,  
 quam qua eundem Principem mox absolutum sui Du-  
 catus & supremum Dominum, mox autem Romani  
 Imperii Vasallum, aut plane alias Principis Sub-Vasal-  
 lum esse fatentur, & iura atque obligationes Vasalli aut-

D 2

Sub-

Sub Vasalli cum potestate iuribusque supremi & independentis Domini non pugnare, sed suo quæque respectu pulchre consistere agnoscunt.

## XXXVI.

Atqui instant: hostis ipse, etiam post cæptas inimicitias ut MINOREM eum tractauit, non ut MAIOREM, neque cum ipso, sed cum tutoribus rerumque administris negotia, quæ inciderunt, discutere voluit? Quo ergo iure mox postulauerit eundem pro Maiori habendum & a Minorum beneficiis excludendum esse? Respondeo: Iure naturæ tam Belli quam Pacis. Recte quidem is, quem hostem sibi fecit Minor, Princeps nosse potest & fateri, eum sub tutela esse, nec ad negotia adhuc admitti; prudenter etiam nihil negotiorum cum pupillo tractat, cum adsint tutores ab ipso dudum agniti. Sed hæc omnia nihil impediunt, quo minus eundem Principem, quem in se spectatum pupillum, quin infantem etiam esse fatetur, alio respectu tamquam caput sui status & personam moralem, in qua nulla est status ætatis variatio, & quæ Minor nunquam esse potest, ad omnia illa facienda ferenda obligatum esse contendar, quæ ex Vniuersalibus luris dictamine læsus a lædente potest postulare.

## XXXVII.

Quod ad beneficia Minorum attiner, supra iam fuit ostensum, ea ex iure ciuili Statutariorio pendere, & præcipue Restitutionem in integrum Romani Iuris esse inuentum, quod naturæ legibus non repugnet quidem, ignorantiam tamen sit. Itaque Princeps Minor ab his quidem priuilegiis, vbi publicis prouinciarum legibus introducta

dueta sunt, haud poterit excludi in illis negotiis, in quibus pro Minori potest haberi; scilicet, quæ ipsi cum tutoribus, cum subditis, denique cum Constitutis (siquidem Germanici imperii sit membrum) intercedunt. In quibus scilicet causis ipse & illi videntur eiusdem esse reipublicæ ciues, quibus communes scriptæ sint leges, quarum definitioni tum tutores pupilli Principis, tum Princeps ipse eiusque subditi, tum etiam alii Constitutus sunt subiecti. Verum enim uero etiam si Principis cum suis ciuibus gesti actus eo iure, quod in illa republica receptum est, astimentur, nequaquam tamen eiusmodi Iuris Ciuilis dispositio ad extraneos traducenda est res publicas, ut in eadem hac quæstione bene differit Strykius. e) Hic enim nec commune est, quod utriusque statui imperet, litesque vel subnascentes suppressat, vel subnatas iudicet, Caput; nec eadem Respublica, quæ tranquillitati, conseruationi & securitati vtriusque Principis, & Minoris, & ab eo læsi, vel lati legibus, vel definita minori ætate vel additis Tutoribus, vel constitutis in omnes casus iuris beneficis & remedii prospiciat. Sed res agitur inter personas in statu naturali æqualis libertatis constitutas, qui cum ciuili statu non nisi ab imperitis solet confundi. Cum in ciuili statu & notæ sint cautiones, quibus in omni cum Minoribus negotio opus sit, & adsit index, qui pro illatis a Minore vel in Minorem iniuriis satisfactionem possit procurare. Quam rerum nihil in naturali statu locum habet, vbi si-

D 3

bi

e) Disput. T. III. diff. X. c. 2. No. 35-37.

bi quilibet prospicere, suarum rerum curam habere, &  
si quam acceperit iniuriam, ipse vindicare debet.

## XXXVIII.

Nec est quod porro obiiciant: si quid incommodi durante Minoris Principis aetate vicinis inferatur, id tutori Principis vel administratori, non autem ipse Principi Minoris esse tribendum, qui ne admittatur quidem ad negotia, cuiusque iussibus, quamdiu pupillus est, nemo morem gesserit. Re-  
cte enim haec allegatur excusatio in rebus domesticis, & in eadem republica, aut sub iisdem legibus & iudi-  
cibus gestis; nullo autem modo in negotiis publicis,  
quibus alii Principes & Status praeter ius fasque offenduntur. Hic enim Princeps cum populo, cui praest,  
una est persona moralis, quae bene aut male de viciniis  
meritorum effectus sibi debet imputare; a quounque derum respubica administrata sit, siue a Princi-  
pe ipso, siue (ipso absente, infante, itabecilli aut ægro-  
tante) a Tutoribus aut Administris.

## XXXIX.

Postulat id omnino ratio, & humani generis secu-  
ritas salusque, quæ in Iure belli & pacis suprema lex esse  
debet. Quod si enim Tutores Principis Minoris aut  
Ministri status quemvis vicinum aggredi possent, aut  
bello laceſſere, nullo Principis pupilli eiusque Status pe-  
riculo; quid, quæſo, tali vicinia infelicius esse posset?  
aut quo pacto reprimetur eiusmodi vel administrato-  
rum vel subditorum etiam audacia in exercendis con-  
tra vicinos latrociniis rapinisue? Denique quid impe-  
diret Tuteorem, data quauis occasione vicini inuadere  
pro-

prouincias, earumque tentare occupationem? quæ si feliciter cedat, magna foret vel ipsi vel pupillo accessio; sin minus, nihil inde incommodi nec Principi pupillo, nec eius populo posset enasci, si hæc Iuris vniuersalis præcepta audiemus. Infinita scilicet bella ex bellissimis his, si Diis placet, Minorum priuilegiis nascitura forent; & vicini, quos natura iubet suæ tranquillitati tempestiue prospicere, non possent non omnibus niti viribus, ne quis Princeps Minorenus ad regnum admouearur; aut saltem, si a throno repellri nequeat Minor, ut satisdatio pro plena securitate ipsius populo extorqueatur: quæ rursus alia regulariter esse non possit, nisi quæ ex hac, quam assérimus, naturalis iuris dispositione iam fluit: Principem quemuis cum populo omnem præstare debere inturiam, quem ipsius tutores vel vicarii, quæ legirime ipsius nomine rebus gerendis præsunt, altis intulerunt; a quibus Princeps vicissim verum male gestarum ratiōnes & penas potest exigere.

## XL.

Eo autem maior incumbit Minori Principi obligatio ex eiusmodi factis, quæ non Tutor modo, sed ipse Minor vel primus iussit, consentiente postea Tutori, vel quibus Minor, post Tutoris mandatum, suum adiecit consensum. In his enim apertissimum est, nec ignorantum fuisse Minorem rei gestæ, nec eo invito factum. Inprimis si Minor Princeps sit puberrati proximus, & eiusmodi dederit mandata, quæ ipsius ætati, animi inclinationibus, aliisque circumstantiis ita sunt conformia, ut appareat, proprio ita motu ab eo esse consti-

constitutum. Quemadmodum v. gr. Princeps 12. aut 13. annorum, qui suos vel milites vel munita oppida proximo suo cognato, in cuius aula educatur, vel cui ob benefacta omnia debet, parere iubet, iisque resistere, in quos inimicum non uno indicio ipse prodit animum; non poterit non videri lubens & sponte sua ita iussisse; adeoque ipse esse auctor omnium incommordorum, quæ ex hoc facto vel vicinis ipsius, vel ipsi ensuntur. Etiamsi Praefecti ipsius hisce iussibus tum demum obsecuti fuerint, quum simile Tutoris mandatum accesserit.

## XL.

Quod si vero ad hæc omnia adhuc post finitam tutelam accedat Principis antea Minoris silentium, ut rem a se & Tutoribus gestam sibi aliquæ noxiæ non recuocet, nec inuitu se & non probante factam esse declareret: quodnam, quæ so, euidentius esse potest argumentum, quæ Princeps Minor adhuc iuss erat, non ex puerili forte imprudentia, sed ex animo deliberato & tali consilio ipsi placuisse, quod Maior factus adhuc sequitur? Porro si non tacuerit modo, postquam ipse rebus suis præesse cœpit, sed luculenter plane & solemnii modo confirmauerit infelicia sua tutorisque mandata, atque illa pro bono facto declarauerit; si denique hæc mens ipsi manserit, etiam diu postquam omnia mala, quæ ex suis factis sibi & aliis & amicis & a se læsis ori potuerunt, ipsa re euenerant; nemo, credo, adeo lippus fuerit, qui non perspiciat, frustra hic ad lubricum Minoris consilium & rationis in puerili ætate infirmitatem recurri.

## XLII.

## XLII.

Tenetur itaque Princeps Minor in eiusmodi rebus  
facto tam tutoris quam proprio. Id quod adeo est eui-  
dens, vt ne communi quidem & ciuili priuatorum Iu-  
re, si hoc vterentur Principes, possit liberari. Ex hoc  
enim, vt supra iam monuimus, repellitur a Restitutio-  
nis beneficio Minor, qui dolose se pro Maiori in hoc, de  
quo disceptatur, negotio gessit; qui iuramento con-  
stans animi sui consilium declaravit; nostris legibus et-  
iam, cui in gestis rebus Tutor aut Curator consensit, et-  
iam si hic actio in Tutorem de sarcendo damno ipsi sal-  
ua sit; omni autem iure scripto nec actio in Tutorem  
nec restitutionis spes illi superat, qui Major factus ipse  
solemniter negotium, ex quo damnum passus est, proba-  
uerit. Quæ omnia ad arnissim in eiusmodi Principis  
Minoris facta conueniunt, de quibus præcedenti S. 40.  
& 41. dictum est. Nam & astute pro Maiori se gerit Mi-  
nor, qui illi, in qua Maior esse debet, ætati proximus, &  
eo in statu, in quo ipse se cum Proximorum Consensu  
pro Maiori potuisset declarare, mandata in rebus maxi-  
mi momenti absentibus militiae suæ aut prouinciarum  
Præfectis propria manu dare sustinet; id quod non con-  
suevere Principes ante finitam plane tutelam facere. Et  
constantissimum animi sui consilium Princeps non iu-  
ramento solum, sed manu fideque sua, quæ in Principe  
iuramento par & æque sancta esse debet, & perpetuo  
huius mentis etiam in sequente ætate habitu declarare  
potest. Ad quæ si iam accedat & Tutoris cum Pupillo  
consensus, & Pupilli, vbi Major factus est, noua, quæ

E

omnia

omnia rata habet, confirmatio; nihil omnino superest,  
quod lex civilis requirat, ut rata sint & immota, quæ  
cum Minoris etiam evidentissimo damno gesta sunt,  
negotia.

## XLIII.

Erunt forte, qui contendant, recte ista, quæ diximus, se habere in Partis, Contractibus, aliisque eiusmodi ciuilibus, quibus obligetur Princeps, aut eius status, negotiis, quæ Minoris nomine ab ipsius Tutoribus gesta sunt; nequaquam autem in bello vel cœptō, vel prolatō; utpote quod Principem ipsum ad nihil obliget. Duplex itaque hic occurrit quæstio, una: Nullane ex bello illato nascatur inferenti obligatio? & altero: Si ne hæc obligatio solius, qui bellum cepit, Tutoris, vel totius, quod & Principem & Statum simul complectitur, Moralis corporis? In utraque nescio an quisquam partium studio non abruptus dubitare possit, & nasci omnino ex bello obligationem, & illam simul incumbere Principi & Statui, cuius nomine & viribus bellum geratur. Est enim aut iustum, quod alteri infertur bellum, aut iniustum. In bello iusto qui ad se suaque defendenda arma cepit, habet omnino ius se suaque tuendi, & hostem perlequendi, ita tamen, ut obligatus sit statim, ubi aduersarius se satisfactum, & ad pacem æquam atque securam ineundam paratum esse offert, bello desistere. In iniusto autem auctor Iure naturali tenetur illatam a se vim atque iniuriam læso sarcire, eumque in posterum de non amplius lædendo securum præstare; læsus autem ius suaque habet a lædente plenissimam datorum damnorum

rum restitutionem exigere, & in talem eum statum redigere, ut in posterum nocere non possit. Hæc qui in dubium vocauerit, is eadem opera negauerit, dari lus belli; aut asseruerit, iniuriam publicam aut latrociniū, quod belli nomine fiat, lure naturali æque ab nostri defensionem licere; aut læso fas non esse, satisfactiōnem postulare a lædente. Id quod ultimum ne Hobbesio quidem in mentem venit.

XLIV.

Cum itaque læsus ius potestatemque habeat, di-  
stante ita Naturæ lege, se suaque ab iniquo inuasore de-  
fendendi, & ut pro iniuria fiat satis, postulandi, & futuræ  
etiam securitati prospiciendi; sequitur omnino, rem  
publicam lædentem ad hæc omnia eodem iure teneri.  
Rem, inquam, publicam totam, quo vocabulo hic &  
Principem & Populum coniungo. Neque enim ad  
solum inuadentem, siue priuatus is sit, siue Tutor, Mi-  
nisterue Principis Minoris, remitti potest læsus Princeps  
vel populus; nisi Respublica, in qua est lædens,  
seuera priuati delinquentis punitione vel traditione se  
a patrata iniuria abhorrire testificetur: Sed totum Rei-  
publicæ corpus læso reparare debet noxam, publico  
ipsi nomine communibusque viribus illataim. Postu-  
lat id torius humani generis tranquillitas atque securi-  
tas, ut supra iam monitum est, nec non imperiorum  
& naturalis status conditio. Inprimis autem Princeps  
Minor, cuius personam sustinet Tutor, ab hac obliga-  
tione nequaquam se potest subtrahere; cum enim ex  
Tutoris factis commoda expectet, necesse est, ut in-

E 2

com-

commoda etiam ferat, & præstet in damnosis, iuvatque  
facta Tutorum publica, quæ in alias liberas gentes iniu-  
ria sunt. Non addo, hanc obligationem adhuc fortio-  
rem esse, quum Minor eiusmodi facta ipse quoque iussit  
& probauit; de his enim puto iam satis esse dictum.

## XLV.

Princeps itaque Minor, si eo, quo vidimus, modo  
vel ipse per se, vel per Tutores Ministrosque suos hosti-  
liter nos lædat, hostis erit, hostisque loco haberi potest  
& deber. Quicquid lure belli in hostis licet vel perso-  
nam vel ditionem, vel bona; licebit etiam in Princi-  
pem, a quo bellum nobis iniuste infertur vel impen-  
det, Minorem. De persona Principis ipsius non opus  
est prolixe differere. Potest ut hostis naturali lege ca-  
pi, potest in bello occidi; & omnibus denique bellicis  
casibus, quibus miles vel subditus hostilis expeditus est,  
Principes ejusmodi Minor subiicitur. Nihil hic excipit  
Naturæ lex, etiam si Prudentia & communes fere gen-  
tium mores Principis incolumitati parcendum esse re-  
cite suadeant; in primis autem nec veneno nec percus-  
foribus impetranda sacrata eiusmodi capita. Quia tamen  
in quæstione fareor *Ius naturæ* non prohibere, quocun-  
que demum modo eum tollere, a quo tibi pernicies im-  
pender. Maxime si totius belli fons & origo sit ex hoc v-  
no capite, eoque sublato omne periculum huius & futu-  
ri temporis uno quasi iectu possit amputari. Cuiusmodi  
consilia Magnæ quondam Brittaniæ Regi Wilhelmo  
Reginæque Annæ de tollendo (quem vocant) Præten-  
dente constat fuisse proposita, sed statim quoque reiecta.  
Lau-

Laudabili omnino ad posteritatem & generoso exemplo, ne quis vñquam audeat Principi cuicunque manum inferre. Etiamsi, vt dictum est, bellico lure vertutum non sit, salutem nostram multo alias sanguine & incerto subinde exitu defendendam, exstincto hoste capitali tueri, siue id fiat armis militum, seu sicariorum opera, seu denique veneni ope; vt *Grotius* g), *Puffendorffus* b), *Griebnerus* i), *Glafey* k), aliquie magno consensu confitentur.

## XLVI.

Licet porro ditiones & terras Principis Minoris, ex quibus bellum nobis infertur, ingredi, tributis onerare, incendiis & rapinis vastare, & in nostram redigere potestatem; prout belli rationes postulauerint. Licet oppida eius munita expugnare, solo æquare, aut nostris firmare præsidiis. Licet denique ipsum Principem hostem suis provinciis exuere, & populos nostro subiicare imperio. Sunt hæc belligerantium Iura, quibus & causæ iusticia & fortuna faret; neque quidquam interest, si ne hostis Minor an Maior? Vterque & terris & opidis atque munitionibus potest irmo debet eiici, vbi nostra id postulat securitas, cui nunquam satis prospiciimus. Nec naturæ lege iubemur hosti reddere ditiones, loca, aut alias res, quibus semel in nostram perni ciem abusus est; eoque minus, si sæpius id fecit, si ini-

E 3

mico

g) lib. III. c. 4. §. 15. 18.

h) lib. VIII. c. 6. §. 16.

i) Princ. Iurispr. nat. lib. III. c. 9. §. 3. not. 2. 5.

k) Vernunft und Völker-Recht, IV. B. 3. C. §. 36. seqq.

inico in nos animo esse pergit, si nostris se hostibus iungit; si denique nulla alia superest ratio, qua nobis nostraque in futurum tranquillitati tuto consulatur.

## XLVII.

Quæ obici hic solent, varia sunt, sed, nisi fallor, haud magni momenti: (1) Non omnem actum hostilem statim iustum esse belli causam in Minorem. Id quod lubentissime largior, si v. gr. excursio militum absque publica auctoritate in nostras terras facta, siue auxilium hostibus a priuatis absque mandato latum sit, & publice mox in eiusmodi communis tranquillitatis turbatores animaduertatur. Istud autem si negligatur, participem se facit Respublica vel Rector facinoris, quo pax lata est, eoque ipso iustum nobis præbet belli causam, siue Minor sit Princeps, seu Maior.

## XLVIII.

(2) In specie dubitari video: Siene hostilis actus, & ob quem iuste bellum in Principem Minorem geratur, si Princeps utrique amicus hostem nostrum commeatu iuuet, aut plane in suas terras aut munitiones recipiat? Quo quidem in casu distingendum esse videtur. Hosti enim fugienti aut dissipato adeoque non cum exercitu eunti transitum per nostras terras non prohibere, sed occasionem evadendi ipsi permittere non vetat ius naturæ; etiam si ne hoc quidem semper sine victoris offensione fieri possit, ideoque non raro, suadente prudentia, declinetur. Eodem etiam modo innoxius transitus non semper videatur posse negari vicino, qui cum alio in bellum infidit; nec denique commeatus & frumenta: modo res utriusque

vtrique belligerantium æque faciles exhibeamus.  
 Quod si autem præbendo comiteatu hostem, qui abs-  
 que eo ab armis cogeretur desistere, eo consilio iuue-  
 mus, vt bellum possit continuare; si eodem modo ob-  
 fessæ vrbi frumenta & alia ad sustinendam obficionem  
 necessaria, aut hostibus ipsis arma & alia belli instru-  
 menta subministremus; si hostilem exercitum sinamus  
 in nostris terris castra habere, ex quibus excursiones in  
 amicam nobis gentem faciant; si illorum ab inimicis me-  
 tuentem in nostra recipiamus munimenta, nostrisque  
 opibus firmemus; si denique nostras cum illis misceam-  
 us copias, aut aliis modis alteri belligerantium in al-  
 terius damnum faueamus; quis neget, vicinos nostros  
 lædi beneficiis, quibus inimicos illorum iuuamus, ad.  
 coque omni iure nos pro hostium sociis habere. Hostis  
 enim est, qui facit, quod hosti placet; ut ex Agarbia Grotius  
 ) bene statuit.

## XLIX.

Sed quid si (3) Minor Princeps longissime absfuit ab a-  
 nimō nocendi aliis, cum non malo consilio suis se amicis in re  
 media facilem præberet; cuiusmodi innoxius transitus, aut  
 plane amicorum receptus in loco munito ipsis posuit videri?  
 Intelix omnino, si ira res se haberet, eiusmodi Princeps,  
 cuius non solum, sed Tutoris etiam non major est con-  
 filii vis aut mentis perspicacia, quam vir ignorant, quæ  
 nam beneficia amicis citra aliorum iniuriam possint  
 præ-

¶ lib. III. cap. 17. §. adde cap. 1. §. 5. & confer, quæ de hac  
 quæstione prolixius disputat Glarey l.c. Cap. 2. §. 55.  
 seqq. p. 71. seqq.

præstari, quænam rursus cum manifesto in vicinos maleficio sint coniuncta. Sed infelicior longe vicinus, cui talis Princeps imminet, siquidem ei non liceret iniuriam in Minorem vindicare; & vel Tutoris vel Principis Minoris inconsiderantia liberaret Principem ipsum eiusque statum, quo minus damnæ vicinis data præstare, & de futura securitate satisdare teneantur. Verum enim vero ob Minoris aut Tutoris imprudentiam nequaquam pati debet Princeps populusque liber & innocens, aut ea carere satisfactione, quæ omni iure pro datis damnis & iniuriis illis debetur.

## L.

Non tamen negaueris, (4) Dolendam omnino esse eiusmodi Principis Minoris fortunam. Non inficior euidem, duram videri & tristem ipsius fortem, & dolenda, quæ vel propria vel Tutorum imprudentia incurront, incommoda. Sed iniusta esse nego, & contra naturæ bellique vniuersalia iura ipsi inducta. Damnum vicino datum, illata iniuria, turbata quies, & tantum non accelerata pernicies resarcienda sunt læso abs lædente, etiam si sit non Minor modo, sed infans Princeps. Nihil hic ad minuendum malum facit, a Minore id esse illatum, sed vnicce, quod & debeat & possit pro eo satisfacere. Id quod in Ciuali etiam iure valet, quo Minor incarcera-ri potest, tum ob debitum *m*), tum ob iniurias & maleficia aliis damnosa *n*); & in vtroque casu in Minores iure agi, vt pote ex Legum definitione post vndecimum

*m*) *Strykijus* Diff. T. I. diff. 4. c. 2. No. 6-8.

*n*) *Stryk.* l. c. No. 10. & 12.

decimum annum iam eiusmodi iniuriarum capaces. o)  
 Quod si in priuatis valere debet iniuriis; quanto magis  
 in publicis inter gentes liberas offensionibus & damnis  
 obligatur Princeps Minor, quæ ipsius nomine atque viri-  
 bus in alios peccata sunt, ipselutere. Sed de his supra iam  
 satis dictum est.

LI.

(5) Cessante porro periculo eiusque iusto metu cessare vo-  
 lunt belli in Minorem recte etiam gesti effectus, & redder-  
 das ipsi esse prouincias urbesque illi erebras. Sed quonam  
 Iuris naturalis capite ita præcipiatur, non liquet. Cef-  
 fare quidem potest etiam durante adhuc bello aut sal-  
 tem ante pacem periculum, quod a Minore nobis in-  
 tendebatur, variis modis. Nostra scilicet victoria, quæ  
 Minori hosti aut eius sociis nullam relinquat nobis no-  
 cendi facultatem; mutato sociorum, quibus Minor se  
 iunxerat, vel statu, vel in nos animo; item nouo plane Re-  
 rumpublicarum inter se respectu & negotiorum syste-  
 mate &c. Sed propterea non cessat obligatio lædentis  
 nobis pro noxa vel data vel destinata faciendi satis, ne-  
 que nostrum ius, eum, qui hostem se fecit, omni mo-  
 do persequendi. In hunc nobis Iuræ naturæ omnia licent,  
 quicunque demum vel Europæ incidat status, vel nego-  
 tiorum mutatio. Quod si tandem periculum facto ipsi-  
 us Minoris poenitentia iniuriæ ducti auertarur, atque  
 ita ceflet, vt de futura securitate amplius dubitandi non  
 sit locus; recte naturæ etiam præceptis haberet, quam

F ob

o) *L. Pupillam ff. lib. 50. tit. 17. de verbor. Signific. III. & L.  
 Impuberem, ff. lib. 47. tit. 2. de furtis 23.*

ob causam restitutionem speraret. Sin vero nullo ipsius facto rerum status quidam sit mutatus, nequaquam autem Minoris animus; nihil omnino est, quod victorem læsum, ut erupta hosti reddat, obligare possit, aut impedire, quo minus victoriæ iure gaudet. Prudentia est Politicæ, nequaquam Iuris Vniuersalis, definiri: vtrum consultius sit, Iure hoc porro vti, an præstet ab illius rigore aliquid remittere? Vtrumque Iure belli licet. Et nobis hic de illo tantum sermo est, quid hoc iure in Minorem liceat, non quid magis ex vsu sit.

## LII.

Itaque (6) nec de his interpellationibus verbum addam, quibus passim inculcant: *maioris esse virtutis, conservare Principem Minorem, quam eum terris vel omnibus vel nonnullis excuere;* aut si Minor lædens læso consanguinitate aut affinitate forte coniunctus sit, vt sunt ferre omnes inter se Principes, *tum sanguini aliquid dandum esse, & condonandas iniurias ab agnato aut cognato profectus.* Pertinent enim hæ voces non ad Iusti doctrinam, ad quam hic vnice respicimus, sed ad consilia vel prudentia civilis, vel virtutis etiam. Quæ tamen nullo modo locum habent, quam primuni de salute & securitate publica agitur. Nam hoc in casu non modo Naturæ ius, sed prudentia quoque & virtutis disciplina non permittunt tantum, sed iubent & imperant, cuicunque inimico siue Maiori siue Minori, siue consanguineo, siue extraneo eripere arma, terras, loco munita, postatem, & si quid est aliud, quo nobis damnum inferre potest, & iam re ipsa intulit. Virtutis enim est, amare

amare alios, hostes etiam, ( vt Stoici iam definierunt ) sed nec supra nos ipsos, nec ita, vt nostra vel bonitate vel patientia ipsi salutis a deamus discrimen.

## LIII.

Restat itaque unicum de finiendo bello in *Minores*  
Caput: de quo paucis agendum videtur, sed ita, vt forte aliis curis haec lineam perficiendam reseruerimus. Finitur bellum, vel hoste funditus deleto, ( id quod huius non est disputationis ) vel Pace. Hæc si cum Minore ipso aut Tutoribus Ministrisue eius ineat, firmæ sanctæque eius debent esse conditiones, etiam si abs Minore initæ, vel metu armorumque vi extortæ sint. Si dubitetur de fide paciscentium, licebit aliorum Principum sponzionibus, aut prisco more ob sidibus, aut quacunque alia ratione sibi utrinque prospicere, prout in Tractatibus pacis & pro re nata fuerit conuentum. Modo bellorum sit finis, communis conseruetur tranquillitas, & pactorum constet fides; nihil amplius est, quod naturæ Iura hic postulent, aut præscribant.

## LIV.

Quid si autem Princeps Minor pacem respuat, negetue eam modico suo dispendio redimere? Quid si injurias factas resarcire recuseret, aut cœlum potius terræ miscere velit, quam quicquam vel iuris sui vel dominii læso aut in satisfactionem aut ad maiorem post hac securitatem cedere? In hoc casu Ius naturæ quovis modo iubet Minoris frangere obstinationem, eique eiusmodi extorquere pacem, quæ iusta & ad futuram utriusque tranquillitatem accommodata sit. Id si va-

F 2

rils

riis de causis fieri nequeat; fruitur tamen victor iure victoriæ, & retinet, quæ iuste occupauit, etiam reclamante Minore. Neque enim *Pufendorfio p)*, aut *Hobbesio q)*, aliisque assentior, qui nullum victori ius in victos eorumque res corporales aut incorporales concedunt, nisi ex pacto cum victis; nec hos, quod capti sint, obligari victori, sed quod voluntati victoris se submiserint; nec prioris Domini ius ad res captas recuperandas extinguui, nisi per subsequens pactum omni prætensioni renunciauerit. Sed potius cum *Hornio r)*, *Titio s)*, atque *C. G. Schwartzio t)*, statuo, ipsa victoriæ natura & lege nasci summum in victos eorumque res occupatas imperium citra ullam pactionem præcedentem. Quod si aliter se haberet, nunquam pacturi forent victi (vt recte obseruauit *Kübelbecker u)*, neque desitura vñquam bella, sed continua turbis expatriæ essent res humanæ. Cum nunquam defuturus sit prætextus non facti veri consensus, qui novis semper bellis, defectionibus, & intestinis subinde armis obtendatur. Id quod naturali Iure belli ita repugnat, vt quod maxime. Cuius finis pax iusta esse debet, & cuius

p) *Pufendorf. de O. H. & C. L. II. cap. 16. §. 13, 14.* nec non *de I. N. & G. lib. IV. c. 6. §. 14.* *L. VII. c. 7. §. 3.* *L. VIII. c. 6. §. 20.*

q) *Leviathan. c. 20.*

r) *Hornius de Ciuitate, lib. II.*

s) *Lauterbach. Obs. 1431.* nec non ad *Pufendorf. de O. H. & C. L. II. c. 10. §. 2.*

t) *Disp. de lure victoris in res deuictorum incorporales §. 18.*

u) ad *Hornium de Ciuit. I.c.*

cuius id adferunt præcepta, fatente alibi *Pufendorfio* m), ut is, qui cum altero in bellum descendit, quem ipse ante la-  
serat, cui & æquam satisfactionem dare renuit, omnes suas  
fortunas ales Martis exponat, sic ut iam in antecessum T.A-  
CITE CONSENSET in quancunque conditionem, quam  
euentus belli ipsi sit assignaturus. Quod pactum tacitum  
non nisi pro conuictione habeo de naturali hac belli le-  
ge, cuius non possit non esse conscius, quisquis in bel-  
lum descendit, cuiusque dictamine nemo ad arma  
transeat, nisi quemcunque belli euentum illi, in qua  
ante bellum fuit, conditioni præferendum esse, re be-  
ne pensata secum constituerit. Alio enim modo taci-  
tam hic inter inimicos conuentionem nemo facile finxe-  
rit, longe autem minus probauerit, si & eiusmodi pa-  
cto tacito vim inesse obligandi; nisi nobiscum iuri victo-  
riæ naturali hanc tribuat efficaciam, ea, quæ in bello ca-  
pta aut occupata sunt, etiam non consentiente priori do-  
mino, retinendi vel in satisfactionem iniurias iam dataæ,  
vel in cautionem de futura securitate.

## L.V.

His itaque tum belli tum victoriae iuribus recte frui-  
tur vicit in bello legitimo, quantumuis obstrepente ad-  
versario etiam *Minore*. Qui si obfirmato plane animo o-  
mnia, quæ vicit occupavit, reclamet; nihil agit, quod  
vel sibi ius addat, vel vicit detrahat, nisi quod huic sub-  
inde necessitatem imponat vterioris etiam belli, & per-  
sequendi tam diu obstinati hostis, donec manus det, paci-  
que iusta & secura subscribat. Quod si bellum etiam  
ante

\*) de O.H. &amp; C.L. II. c. 10. §. 2.

ante pacem in frustra reluctantem inimicum suspende, resuadeat prudentia, aut miseratio hostium; nihil ex naturæ Lege superest aliud, quam ut victor ipse suæ consulat securitati & satisfactioni, & ea, quæ hunc in finem ex occupatis hostium bonis, terris & dominiis sibi retinere necessum habuerit, propriis defendat munitaque viribus, aut aliorum quoque vicinorum Principum simul tueatur guarantiis, quorum interest publicam conseruare tranquillitatem. Quam si Princeps Minor data deinde quacunque occasione vi armisque interturbet; tum non modo prius illud & sotpum, sed nouum etiam in nos nostrosque fœderatos mouet bellum, pro quo nouam debet satisfactionem. Tum enim (ut Lycortæ Achæorum Prætoris ad Appium Romanorum Legatum verbis x) finiam) pro securitate nostra & fœderatorum iustum piumque bellum suscipimus, quod cum alii laudent, reprobendere ne hostes quidem possint, Dii quoque ipsi comprobauerint; quantum modo ea, quæ iure belli acta sunt, in disceptationem venient?

## F I N I S.

x) Liuius lib. XXXIX. c. 36.



Kopenhagen, Diss., 1680-1790



f

56.





DISSERTATIO IURIS PUBLICI UNIVERSALIS  
DE  
EO QVOD  
**IVRE BELLI**  
LICET  
IN MINORES,  
Bom  
Recht des Krieges gegen die minderjährige;

Quam  
Ex præscripto foundationis Regiæ  
*Benigno totius Senatus Academicorum Examini subiicit*  
**ANDREAS HOIER,**  
Iuris Vniuersalis atque Publici P. P. Q.

*Defendente*  
**LUDOVICO DE HEMMER**

LL. AA. Magistro & Reg. Comm. Decano

*Ad D.* Aug. c<sup>is</sup> I<sup>o</sup>c<sup>e</sup> x<sup>xxv</sup>.  
In Auditorio Superiori. Horis a. m. soliti



H A F N I A E,  
Typis Regiae Majestatis & Vniuersit. Typograph. Ioh. Georg. Höpfneri